



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

XXI. Martii. S. Benedictvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

S B E N E D I C T V S P. N. ut sese totum Christo daret, in altissimam speluncam penetrans, triennio delituit. Quodam die, cum ardentes ei ad libidinem faces à Diabolo subiicerentur, se in vepribus tam diu volutavit, dum lacerato corpore, voluptatis sensus dolore opprimerentur. Signo crucis poculum confregit, in quo ab invidis venenum fuerat oblatum, ideoque relicto monasterio, in solitudinem se recepit. Postea Cassinum migrans, simulachrum Apollinis, qui adhuc ibi colebatur, comminuit, & incolas Christianis præceptis imbuit. Aliquot mensibus, antequam è vitâ migraret, præmonuit discipulos, quo die esset moriturus; sepulchrum sex diebus antequam eò inferretur, aperiri iussit, sextoque deferri voluit in Ecclesiam; vbi sumptâ Eucharistiâ sublatis in cælum oculis orans, inter discipulorum manus efflauit animam, quam duo Monachi euntem in cælum viderunt, pallio ornatam pretiosissimo, circum eam fulgentibus lampadibus; & clarissimâ & grauissimâ specie virum stantem supra caput ipsius, dicentem audierunt: *Hæc est via, quâ vir Domini B E N E D I C T V S in cælum ascendit. Ex Lib. 2. Dial. B. Greg. Is Regulam conscripsit, ac tot post se sectatores abduxit, ut eorum numerus iniri nullo modo possit, ex eius verò familiâ prodierunt tot ac tanti in omni laudum genere virtutumque; florentes viri; ut quoquò te convertas, admiratione defixus tenearis.*

Quot enim Martyres, quæso, ex illius ordine? quot miraculis ac sanctimoniâ præstantissimi viri exierunt? quot Pontifices summi & admirandi. Sed de his alibi pluribus dictum.



S. BENEDICTVS ABBAS .
S. PLACIDVS MARTYR S. MAVRVS ABBAS .
ET ABBAS . CONFESSOR .

XXVII. MAR.

Handwritten notes on the book's spine:
Anno 15
S. Bened
III
5